Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 437
Quelle:
Copyright:

istis pro *livescant tamen isti*. Lectio Operis ipsius titulis Librorum quadratis distincti admodum castigata est, et Codex inter praecipuos habendus.

Ambiunt eum utrinque Membranae Ritualis subparis aevi, e quibus ritum extremae unctionis huc transferre juvat. *Et sic perungant singuli sacerdotes infirmum de oleo sanctificato. facientes cruces in collum et guttur et pectus et inter scapulas et supra V. sensus corporis et in supercilia oculorum et in aures intus et foris et in narium summitatem siue interius siue exterius et in labia exterius et in manu similiter exterius. id est. de foris. ut maculae quae per V. sensus mentis et corporis fragilitate carnis aliquomodo inbeserint. hac medicina spiritali et domini misericordia pellantur*. De Pedibus et Renibus nihil.

CCLVII.

R. 11 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 88. f. maj. per duas columnas luculente exaratus, rubricisque distinctus hoc primum gaudet titulo: *Incipit epistola clementis ad iacobum fratrem domini de obitu apostoli petri. et de ordinatione sua. in qua omnis regula ecclesiastica continetur. quam ruphinus ejusdem clementis interpres in antelata prefatione ideo se dixit eius historiis non preposuisse. quod olim eam interpretatus sit*. Vides, rem esse de *Pseudoclementis* Libris *Recognitionum* a *Rufino Torano* sive *Turanio* Presb. *Aquilejensi* latina civitate donatis, quos editos habes a *Joh. Bapt. Cotelerio* inter *PP. Apostolicos Vol.* I. edit. *Cleric.* 1698. p. 485. f. *Antelatae Praefationi* imprudens Librarius noster praemisit: *Clemens iacobo. domino et episcopo episcoporum. regenti ebreorum sanctam ecclesiam in iherosolimis*, ut adeo *Praefatio* haec, quae *Rufini* est, et incipit: *Tibi quidem papa gaudenti. nostrorum decus insigne doctorum* &c. ab ignaris credi possit, ipsius esse *Clementis*. Sunt porro in hac Praefatione praeter lectionis varietatem jam ab Editoribus adnotatam quaedam, quae subjicere visum est. Ita pro *tanta Spiritus gratia* Codex habet *tanta uigoris gratia*, pro *civium vultus* Codex *ciuium amor*, pro *duas editiones haberi* Codex *duas sectiones* &c. Praefationem jam excipit Elenchus *Capitum Libri I. Recognitionum*, quae sunt numero XVII. Ejusmodi Elenchos Libri reliqui non habent, quorum etiam Tituli inter *Tertium* et *Sextum* titubant. Opus tamen integrum est, hocque clauditur epiphonemate: *Explicit liber. X. Beati Clementis pape urbis Rome*. Lectio aut cum Editis consentit, aut his est inferior.

II. *fol.* 80. p. 2. continuo sequitur: *Epistola clementis ad Jacobum apostolum De passione apostolorum Petri et Pauli*. Incipit ex abrupto: *Domini et Saluatoris nostri ihesu christi per omnium crescerent mentes & per dies singulos religionis propagarentur augmenta* &c. Itaque praeponendum fortasse: *Cum fides*. Tantum vero ab-